



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 2. Quantitas Italiae iuxta recentiores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

Boiohæmi hanc vocem detorserunt *Vlaskazema*: suspicantur quidam olim à Slavis dictam esse *Vloska*, quod ex vocibus Polonicâ, & Bohæmicâ colligunt; certè hodie à loquentibus Slavicè nuncupatur *Laska-deshela*: à Turcis & Græcis eius incolæ Latini dicuntur, à quibus Dalmatæ & Croatæ hanc regionem *Latinska Zemlya*, seu *Zemgla* vocare didicerunt.

§. 2. *Quantitas Italiae iuxta recentiores.*

PHILIPPVS Cluverius in Italiae descriptione sicut in aliis rebus accuratissimus, longitudinem Italiae dire&issimo cursu consideraram ait vix octingenta millia complere, per Neapolim inflexo cursu, haud minùs nongentis Pas. Mil. *Latitudinem* autem excurrentem per Saonam, Augustam Taurinorum, Comum, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergestem, Polam & Arsiam Fl. est 151. Mil. per summas Alpes 15000. Mil. Pas. *Ambitum* denique seu *circuitum* ter mille trecentorum milliarium.

Vbi & notat variè loqui in hac parte etiam Italos ipsos, ob diversitatem mensuræ, quæ vbique non est eadem.

Si verò Geographicè loqui voles, Italiae *maxima Longitudo* procurrat ab Augustâ Prætoriâ ad Pro. *Spariunto*, & continet 12. totos gradus maioris circuli, ac proinde 720. Mil. Pas. Leucas nostrates 360. Germanicas 180.

*Latitudo* autem *maxima* à Populonio Prom. ad Pontebam Venetam 4. graduum est cum 38. minutis, ideòque 278. Mil. Pas. Franc. leuc. 139. Germ. 69. cum dimidia. *Minima* verò *latitudo* ab ostio Vulturni ad Termolam in Capitanatâ vnius gradus cum decem minutis, hoc est 70. Mil. Franc. leucarum 35. Germ. 17.  $\frac{1}{2}$ .

§. 3. *Qualitas in genere recentis Italiae.*

CÆLVM Italicum vbique temperatissimum est, si excipias regiones aliquas Alpibus suppositas; quia neque in Boream, neque in Austrum nimium procurrat, sed eo in aspectu cæli, seu climate constituta est, vt summam exigat temperiem. Quòd si paulò calidior debeat esse ob Apenninum radios Solares reflectentem, vaporibus temperatur qui ex mari circumposito existunt. Egregiè quoque rigua est, quoniam Alpes & Apenninus ei aquas ex omni parte sufficiunt.